



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **De Prima Scribendi Origine Et Vniversa Rei Literariæ Antiqvitate**

**Hugo, Hermann**

**Antverpiæ, 1617**

Cap. VI. De figuris literarum. Quomodo ea apud Hebræos ex literâ Iod;  
apud Latinos & Græcos ortæ ex lineis rectâ & curuâ, vnâ vel pluribus variè  
iunctis. Item ex perpendicularibus, diametralibus, vel ...

---







[urn:nbn:de:hbz:466:1-71265](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71265)



pro SS, vel pro CS, P S, Y, Z. Videtur enim hic ordo magis esse ex naturâ pronuntiationis; quæ etiamsi ad scriptionem non faciat (cùm scriptu literæ omnes sint æquè faciles, licet nonnullæ pronuntiatu difficiles) tamen dedit originem scriptioni: priùs enim pronuntiatæ sunt literæ quàm scriptæ; & earum etiam formæ pronuntiationi accommodatæ factæ sunt. Nolim tamen ego iam auctor esse veteris ordinis immutandi: qui id faceret, næ ille pueris Alphabetariis grande adferret negotium. Per me licet vt priscas suas stationes teneant literæ; nisi fortè saltando velint loca sua permutare, quod ingeniosè finxit de literis Sophocles in Amphiarao Satyrico, vt refert libro x. Athenæus.

## CAPVT VI.

*De figuris literarum.*

**H**EBRAICOS characteres omnes compositos esse ex solâ literâ, Iod variè colligatâ, ingeniosè obseruauit Guilielmus Postellus libro De Phœnicum literis ad Cardinalem Lotharing. verbi gratiâ: Aleph ex quatuor Iodim ita connexis ; Gimel, ex tribus ; Vau, ex duobus ; Mem & Sin, ex quinque  . De Latinis verò non malè Scaliger libro 1. De causf. ling. Latin. cap. xxxix. *Figura, inquit, literis accidit per lineas: omnis autem linea aut obliqua aut recta est. Litera autem omnes aut lineâ aut lineis constant: item aut rectâ, vt I; aut rectis, vt H; aut obliquâ, vt O; aut obliquis, vt Q; aut rectâ & obliquâ, vt P; aut obliquâ* 



& rectâ, vt G; aut rectâ & obliquis, vt R, B, K. Hæc diuisio est à substantiâ. Ab accidenti autem talis: Perpendicularis vna, I; dua, H; eaq; iugata. Dua angulares ad medium perpendicularum, A. Vna perpendicularis cum vnâ iugatâ, L; cum duabus, F; cum tribus, E. Dua perpendiculares, diametro quadrati iugata, N; & iacente situ huic aduersâ, Z. Dua diametrales, X. Sunt & curua inordinata, S; nam Græca ex æquo respondet sibi, Σ; cui stans aduersatur M.

Item aliter literæ diuidi possunt; in simplices & compositas, quales sunt & & F; prior ex v & o; posterior componitur ex Γ Γ.

Figuræ autem sunt apud varias gentes, variæ; de quibus Guilielmus Postellus, Ioannes Baptista Palatinus, Bibliander, & Angelus Roccha de Camerino, Ioannes & Theodorus de Bry.

CAPVT VII.

*De nominibus literarum, & eorum significatione ac causis.*

**N**ON opus fuerit Delio aliquo natatore ad diuinandam nominum ( quæ literis suis variæ gentes imposuere ) originem & causam: constat enim inter omnes, ab Hebraicorum characterum nominibus, gentium omnium literas esse appellatas, vel ex solâ vocabulorum affinitate.

Pronuntiant Hebræi:

Aleph, Beth, Gimel, Daleth, He, Vau, Zaijn, Cheth, Teth, Iod, Caph, Lamed, Mem, Nun, Samech, Aiin, Pe, Tfade, Coph, Resc, Scin, Tau.

E Pro-